Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 153
Quelle:
Copyright:

falsis prophetis pro *Apostolis*, et: *ad ueram et euangelicam fidem* pro *veram evangelicam* &c. Post Epistolam *ad Hebraeos* adscripta est eadem manu Spuria *ad Laodicenses* absque *Glossa*, et imperfectior, quam quidem edita a *Fabricio* in *Cod. Apocr. N. T.* p. 873. item charactere valde minuto per duas columnas Prologus quidam in omnes, ut videtur, *Pauli Epistolas*, qui incipit: *In exordio epistolarum quedam sunt requirenda generalia et quedam specialia. Generalia sunt que spectant ad totum corpus epistolarum* &c. Mox dicitur: *Multe enim questiones ut de matrimonio et electione pontificis hodie fierent, nisi ab apostolo soluendo forent preuente.* Recentiora tempora haec respiciunt, cumque in Allegoria *Jeremiae* in lacum missi deinceps addatur: *Adimelech eunuchus significat ordinem predicatorum qui dicuntur eunuchi quia semetipsos propter regnum celorum habendum eunuchizauerunt* &c. suspicatus sum Autorem ad FF. Praedicatores pertinere, nihil tamen egi; neque enim *Thomas Aqu.* aut *Nic. Gorramus*, aut *Petr. de Tarentasia*, aut *Petr. de Palude* Commentaria sua in *Paulum* ita ordiuntur. Itaque rem in medio relinquo. Ultima Prologi hujus sunt: *Ad ultimum instruit de moribus et ita terminat tractatum suum uel epistolam.*

CV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 155
Folior. 266. f. sat bene ita perscriptus, ut angustiorem columnam occupet Textus, latiorem vero Commentarius. Est vero Textus *Epistolarum D. Pauli*, Commentarius autem e variis Patribus et Interpretibus, praecipue *Ambrosio*, *Augustino* et *Haymone Halberstad.* ad instar *Glossae ordin.* quae etiam delibatur, conflatus. Prooemium ita infit: *Sicut prophete post legem, sic et apostoli post euangelium recte scripserunt.* &c Subditi sunt hi versus μνημονευτικοι

Romam prima, due post hanc venere corinthum,
Quarta manet galathas et quinta fit ephesianis,
Sextaque philippis et septima missa colossis.
Octauam nonamque tenent thessalonicenses.
Bina timotheum, thitum post vna salutat,
Deinde philemoni, post paulus scribit ebreis.

Adjecit in margine ridiculus interpres: Ad corinthos *gen chürnten zal.* Ad galathas *gen peraw.* Ad ephesios *gen türkey.* Ad philipenses *gen philips zal.* Ad colocenses *gen gölczal.* Ad thesalonicenses *gen zalnek.* Expositionis *ad Rom.* initium est: *More scribentium*